

HIEROGLYPHICA

SIVE DE SACRIS AEGY

PTIORVM LITERIS COMMENTARII,

IOANNIS PIERII VALERIANI BOLZANII

BELLVNENSIS.

LECTORI.

Habes in hisce cōmentarijs non solum variarum historiarū, numismatū, veterumq̃ inscriptionum explicationem, verumetiam prater Aegyptiaca & alia pleraq̃ mystica, tum locorum cōmuniū ingentem magna cum oblectatione syluam, tum sacrarum literarum, in quibus haud raro & Christum ipsum, & Apostolos Prophetasq̃ huiusmodi locutionibus vsos fuisse videmus, exquisitam interpretationem: vt sanè non temerè Pythagoram, Platonem, aliosq̃ summos viros ad Aegyptios doctrina gratia profectos intelligas: quippe cū hieroglyphicè loqui nihil aliud sit, quàm diuinarum humanarumq̃ rerum naturam aperire. Vale, & hoc periucundo iam per Pierium oblato beneficio feliciter fruere.



*Cum gratia & priuilegio Imp. Maiest. in
annos quinque.*

BASILEAE,

1556.

Ania & effera loca profecturi erant, sed ad urbem orbis terrarum dominam, amce no loco sitam, ubi rerum deliciarumq; omniū quotquot uel auidissimi cuiusq; cupiditate expeti possint, copia fertilissima redundaret. Ibi esse Principem, cui totus penè terrarū orbis assurgeret: apud quem is in delicijs habendus esset, & tanquam Luscinia pullus, lautitiarum blanditiarumq; affluentia nutricandus: proinde bono animo esset, secumq; primo quoque tempore lætus & alacer nauem inscenderet, affuturos nauigationi Deos, & cursum omnem incredibili felicitate profecturos. Ita Hannonem ab eodem magistro in aliam sententiam ductum, ubi signa data sunt, ultrò nauem conscendisse, neq; ulla unquam imperia toto itinere detrectasse.

DE RHINOCERONTE.



Vi Rhinoceronta in Domitiani nummis inspexere, quid id signum sibi uelit quæritare solent. Ego factū id ad Principis adulationem dixirim, qui animalia huiusmodi spectaculis obtulerit, cuiusmodi munus illud fuit, quod à Valerio Martiale celebratur:

Rhinoceros in Domitiani nummis.

B Præstitit exhibitus tota tibi Casar arena

Quæ non promisit prælia Rhinoceros.

O quam terribiles exarsit promus in iras,

Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat.

Sunt enim qui lentitudinē irascendi, ac nullum mox adhibitū modum excandescentiæ, per huius animalis hieroglyphicū intelligant. Nam in eo conueniunt autores, magna id indigere irritatione: sed ubi irasci cœperit, esse ferocissimū: quod & altero Martialis expressit epigrammate:

Sollicitant pauidi dum Rhinoceronta magistri

Seq; diu magna colligit ira fera

Desperabantur promissi prælia Marti

Sed tamen is redyt cognitus ante furor.

C Nana grauem gemino cornu sic extulit ursum,

Lactat ut impostas taurus in astra pilas.

Sunt qui uolentes potentē aliquem regem imbecillioris alicuius artibus uexatū intelligere, elephantū pingunt in certamen à Rhinoceronte lacepsitū. Nascitur hic siquidem natura hostis elephanto, longitudine ei penè pari, sed cruribus multò breuioribus, colore buxco, ut Plinius. Cornu is ad saxa limato se pugne præparat: in dimicatione aluum maximè petit, quā esse molliorē intelligit, eaq; per fossa actutum superat elephantum.

R O B U S T V S.

Sanè fortem atq; robustum diuinæ literæ, ut Eucherius tradit, per Rhinocerontis imaginem accipiunt, illudq; lobis ex Hebræo fertur: Nunquid uult rhinoceros seruire tibi? Terribilis, ait is, fera rhinoceros, cui gemina in naribus cornua: atq; ita in Domitiani nūmis obseruauimus, in quibus Rhinoceros spe-

IRACUNDIA EX TARDI
tate ferocior.



REX POTENS IMBECIL
loris artificio petitus.



Pierii Val. Rhinoceros.

Etatur nares gemino cornu insignis, qualem celebrat Martialis. Præterea qui nuper allatus est ex India inferiori ad Lusitaniæ regem, cuius imaginē ad Leonem X. P. M. transmissam uidimus, unum quidem in nare cornu habet, alterum supernè prorumpit, nō ad eò magnū, sed præualidum esse Lusitani omnes qui animal uiderunt attestantur. At longè curiosius hoc uidendū: in diuinis si quidem literis *μονοκίρωτα*, & *ῥινοκίρωτα*, Vnicornē scilicet & Naricornē plerisq; locis confusim acceptum fuisse, nimirū à nouis & ueteribus Theologis, qui cūm historiā ignorarent, duo hæc unum eundemq; esse crediderūt, ita ubiq; ab alijs unicornē, ab alijs naricornem uno eodemq; loco positum inuenias. Id quod accidisse puto, quòd, uti diximus, pleriq; horū idem esse animal arbitrati sunt Rhinoceronta & Monoceronta, cūm alioqui longè diuersa sint, separatimq; à Plinio utrunq; positum, qui libro octauo, capite post uigesimum primo, Monocerotem asperrimam ait feram, reliquo corpore equo similem, capite ceruino, pedibus elephanto similis, cauda apro, mugitu graui, uno cornu nigro media fronte cubitorum duūm eminente. Quæ quidem descriptio eum signat, quæ uulgus Halicornū uocat, quem aiunt pudicitiaē ita amantem esse, ut nō nisi puellæ uirginis ope capi possit, quam uenatores ibi statuerint sedentem quò animal id potum pabulatūm ue se conferre animaduenterint. Accurrere enim unicornem ad puellam huiuscemodi, inclinatumq; caput in eius gremiū collocare, altissimoq; mox occupari somno: signoq; uenatoribus à puella dato appropere eos, & feram nullo negotio capere, atq; hoc unius tantū cornu præmio, quod contra uenena pollere prædicant: ramenta quippe eius efficacissimè sanare, & toris stratis partem eius impositam, si quid ueneno uitiatum apponatur, sudorem emittere. Rhinoceronta uerò eodem libro Plinius capite xx. ponit, qui cornu nō in fronte habeat, sed in naribus: alterum eum à Dracone hostem genitum elephanto, & quæ superius allata sunt de utriusq; pugna. Sanè alibi in diuinis literis Rhinoceronta hieroglyphicū esse fortis & robusti uiri, uti superius dictum, notat Eucherius citato ex Iob loco: Nunquid uolet Rhinoceros seruire tibi? Et apud Balaam scriptū inuenias, Cuius fortitudo quasi Rhinocerontis, ut latinæ pleraq; omnes habent interpretationes, quamuis Sanctes unicornis reddiderit. Igitur si quid ariolandum, cūm psalmo hoc uigesimo primo comparatio referatur ad animalia robustissima & indomita, diuinumq; auxiliū contra eorum impetū atq; uim imploretur, quippe ut Chaldei & Arabes exposuerūt, Salua me à feroci fortissimo sicut leone, & à rege potēte, cuius potētia sit sicut Naricornis, eamq; pleriq; lectiōnem probent, non dubitarim asserere loco hoc Rhinocerontis legere. Vbi uerò psalmo xxviii. mentio fit amabilioris animalis, dicat quippe Sarion apud Hebræos, quod Græci reddidere *ἡγαπήμενος ὡς υἱὸς μονοκίρωτων*, Latini uerbum uerbo reddentes, dilectus quemadmodum filius Vnicornium: uetus etiam tractatio Vnicorniū habeat, nulli dubium esse crediderim, quin castior istius loci lectio sit *μονοκίρωτων*. Atq; hæc, mi Domine, sunt quæ super Elephanto, qui Rhinoceronta secum traxit, colligere per occupationes licuit. Tu qui ætatem omnem, horasq; omnes assiduæ lectiōni soles impendere, longè illustriora, reconditoraq; forsitan inueneris, quæ si ad manus meas peruenire nō potuerūt, indulgendum est mihi: non enim ignarus es quantum mihi Principū obsequia, negotiorumq; turbationes de studijs literarum subtrahant, crebrisq; me interpellationibus auocent. Quare tu atq; alij, qui uitæ meæ rationem inspicitis, mihi estote æquiores, cūm præsertim admoneat Maro, neminem esse qui possit omnia,

Ad

AD ERVDITISSIMVM LAELIVM TAUREL
LVM ILLVSTRISS. COSMI DVCIS FLORENTINORVM
IVRI PRÆFECTVM, DE IIS QVÆ PER TAV
RVM ET BVBVLVM OMNE GENVS

*significentur ex sacris Aegyptio-
rum literis.*

IN publica peccare commoda videar, doctissime Taurelle, si Tauri mei mugitus nescio quos Serenissimo Duci Cosmo meo, inò tuo, inò proborum omnium patrono, dedicare non erubuerim. Nam quamuis non sim nescius eum studiosorū commodis applaudere, maiorū suorum exemplo, qui omnes summā & eam æternam laudem cōparauere, dum scilicet literas & virtutes, & bonos omnes mores in Italia, atque adeo in ipsa clarissima ciuitate Florentia florere, & in honore esse, omni studio, conatuq; omni cura uere: negotia tamen, quibus iuuenis ornatissimus nunc in tanto rerum Italicarū motu & perturbatione detinetur, non permittunt, ut importunus accedam, tametsi sapientissimè & magna cum ciuū suorum cōmendatione omnia temperet & moderetur, ita ut omnes curam, studiumq; senile in atate tam viridi admirentur. Quare Taurello potius amico benignissimo eum alendum curandumq; dedi, cui cibus is, quo Taurus noster pascitur, sufficit abunde, ut cūm opportunū fuerit, resq; ipsa monuerit, suo tempore & loco Taurellus de Tauro, quæ in eo sunt laudabilia, atq; magna etiā admirationis, proferat, et ratiocinetur, Principemq; ingenio præstantem, quibus dotibus animal polleat, & si dicere licet, quibus virtutibus insignis habeatur, interdum cōmonefaciat. Nam quæ homines recte laudabiliterq; faciunt, cūm illi ad hæc agenda nati sint, & vnusquisq; ab animo suo, qui ratione pollet, possit exempla desumere, quia tamen doctes hæc ab humana natura demanant, non vsque adeo sunt in nobis admirandæ: sed quæ fera faciunt animalia, quibus singuli ferè singulis motus sunt impertiti, si ultra naturæ suæ fines prouehantur, eo preciosiora iudicantur, quo magis interdum humanum genus in certamen prouocare comperiuntur: cuiusmodi multa admiranda super Elephanto proximo commentario ad Reuerendissimum Sfortiam commemorauimus, quibus non inferiora forsitan de tauro vel bouillo omni genere dicturi sumus.